

Band XI., Nr. N5714, Seite 562-563

Papst Nikolaus IV. beauftragt den Abt von Donauwörth, den Domdekan und den Archidiacon Gregor von Würzburg, den Streit der Augustinereremiten in Gmünd und des dortigen Pfarrers endgültig gemäß der Entscheidung der Kurie zu erledigen.

Rom, 1288. Dezember 13.

Nicolaus episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . . abbati monasterii Werdensis Augustensis diocesis ac . . . decano et Gregorio archidiacono Herbipolensibus salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis . . . prior et fratres Heremitarum de Gamundia ordinis sancti Augustini Augustensis diocesis, quod cum fratribus eiusdem ordinis a sede apostolica sit indultum, ut ad civitates vel villas ubi religiose ac honeste commorari possent a populis evocati accedere ibique pro suis usibus edificia ecclesias seu oratoria construere valeant, ac dicti prior et fratres iuxta huiusmodi indulti tenorem ad villam de Gamundia evocati ab ipsius ville populo accessissent et ibidem in fundo, quem iusto titulo acquisiverunt, edificia et oratorium pro suis usibus etiam de consensu venerabilis fratris nostri Augustensis episcopi loci diocesani construere incepissent, tandem . . . rector ecclesie predicte ville falso asserens, quod dicti prior et fratres ecclesiam et quedam alia edificia infra limites parochie ipsius ecclesie erexerant et construxerant et adhuc construere et erigere nitebantur, dictos priorem et fratres super hoc coram predicto episcopo auctoritate ordinaria fecit ad iudicium evocari petendo eos compelli, ut ecclesiam et edificia huiusmodi constructa per eos demolirentur omnino et alia ibidem erigere ac construere minime attemptarent. Idem vero episcopus in huiusmodi causa procedens contra dictos priorem et fratres diffinitivam sententiam promulgavit iniquam, a qua ipsi ad nostram audientiam appellarunt ac dictus episcopus huiusmodi appellatione contempta in dictos priorem nec non et fratres dicti loci de facto, cum de iure non posset, excommunicationis sententiam promulgavit ipsosque fecit excommunicatos publice nuntiari, propter quod prior et fratres predicti super appellatione huiusmodi ad . . . prepositum . . . decanum ac . . . scolasticum Eystetenses in consueta forma ipsius sedis litteras impetrarunt. Sane preposito decano ac scolastico predictis custodi ecclesie sancti Mauritii Augustensis committentibus super hoc totaliter vires suas ipse, qui vocatis partibus in causa procedere inceperat supradicta, in dictum priorem et singulos dictorum fratrum nulla competenti monitione premissa sine causa rationabili excommunicationis sententiam promulgavit contra statuta concilii generalis, unde eidem custodi nostris damus litteris

II

in mandatis, ut si est ita sententiam ipsam infra octo dies post receptionem litterarum nostrarum sine qualibet difficultate relaxat in causa ipsa iuxta priorum continentiam litterarum appellatione remota ratione previa processurus. Quocirca discretioni vestre de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus quatinus, si dictus custos mandatum nostrum infra prescriptum tempus super hoc neglexerit adimplere^a, vos extunc sufficienti ab eisdem priore et fratribus super hiis pro quibus excommunicati habentur cautione recepta sententiam iuxta formam ecclesie relaxetis eandem et iniuncto eis quod de iure fuerit iniungendum apud Herbipolim in causa ipsa iuxta priorum ad dictos prepositum decanum et scolasticum directarum continentiam litterarum appellatione remota ratione previa processuri facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Proviso attentius ut si pro manifesta offensa dicta sententia sit prolata, nisi prius ab excommunicatis sufficiens prestetur emenda, nullatenus relaxetur. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Datum Rome apud sanctam Mariam Maiorem, idus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

—

Der Textabdruck folgt dem Original (italienisches Perg.).

Rest der Hanfschnur von der Bullierung. Auf der Plica rechts *H. xd' Q (?)*; die linke untere Ecke ist abgeschnitten. Oben in der Mitte mehrere durchgestrichene, flüchtig geschriebene und undeutliche Vermerke, darunter zweimal *cor.* Auf dem Rücken oben in der Mitte: *Jac. d' Regio.*

^aVon *mandatum* bis *adimplere* auf Rasur.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 177 S U 1982

Regesten:

ALFONS NITSCH (BEARB.): Urkunden und Akten der ehemaligen Reichsstadt Schwäbisch Gmünd 777 bis 1500, 2 Bde., Schwäbisch Gmünd 1966-67 (Inventare der nichtstaatlichen Archive in Baden-Württemberg, 11 und 12), Bd. 1, S. 12, Nr. 60. Schmidt: Papsturkunden, Bd. 1, S. 312 f., Nr. 679.

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Rom

Ortsindex:

Augsburg, A

Donauwörth, DON

Eichstätt, EI

Rom, Latium, Italien

Schwäbisch Gmünd Wohnplatz (4879)

Schwäbisch Gmünd, AA

Würzburg, WÜ